

A D CLARIS

SIM V M IOANN E M BELL A I V M

Præsulem Parisensem, & Francisci Christianissimi

Francorum regis consiliarium, in sanctiore

consilio: Ioannis Guinterii Anderna,

ci in Paulum Æginetam e

Græco in Latinum trās
latum, præfatio.



Voniam nuper lucubrationes nostras
Præful Clarissime, tanta excepisti hilaritate, et benevolentia ut in me adiuuando
ornandoque nihil feceris reliqui, immensa animo meo cura subiit, quomodo me
gratum beneficiis tuis approbem, reponamque gratiam. Non enim tantum in me ingenii, non eam sentio dis
cendi facultatem, qua, ut par est, nominis
tui memoria, celebritasque frequentetur, uerum et diis lacte
rustici, ut Plinianis uerbis utar, multaque gentes supplicant, et
mola tantum salsa litanit, qui non habent thura. Offero igitur
tibi integrum Pauli Ægineta de re medica opus, in Latinam
orationem à me superioribus annis conuersum, non tam refe
rendæ gratiae studio (uix enim condignum tuis meritis existis
mo, ut quibus summa studiorum meorum debeatur omnis)
quam ut auspicio in uulnus procedat, ac ancipitem iudicio
rum aleam securè experiar, tanti celebritate nominis com
mendatum. Noui enim hosce meos labores, nisi magno ali
quo patrocinio defendantur, à mortibus utiligitorum tutos
non fore: isto præsertim tempore, quo homines honestum
quidem illud Hefiodi certamen inter se negligunt, uerū ubi
studiosior aliquis ingenii sui futuras, magno sudore multisque
uigiliis in communem partas usum emitit, statim nullo iudicio
calumniantur, eleuant, traducunt. Tuani itaque authoritatē,

E P I S T O L A.

Pontifex ornatus sumus appello; eius uiri authoritatem qui ob admirabilem animi probitatem, singularem doctrinam, ad multos honores amplissimos electus est, cuius tantam prudentiam Franciscus Christianissimus Galliarum Rex, tum in Sanctiore suo consilio, tum apud exteriores principes sentit, ut Homeris cum illud uerè dicat,

Αἰχέντες τε πάπερ καὶ ἀθλωσίν καὶ σπουδάσιν,

Τοιούτοις δέ κοι μετασυμφρόνεις μοναδιστέοις Αχαιῶν.

Eoq; nuper Parisiensibus nullum alium antistitem inter tot præclaros alioqui uiros sua sponte delegerit; quem in hoc à Deo terris concessum arbitror, ut esset qui hoc seculo Mœcē natis illius Romanī imaginem nobis referret: Proinde à parū candidis iudicibus ad te prouoco, sic difficultatibus aliquādo tanti operis uictus, utilitatem iuuandi prætulerim gratiae placē di. Cum enim uiderem medicos haec tenus medendi rationem à barbaris indoctis q; scriptoribus petere, omni cura authore è Græcia aliquem interpretandum mihi censui, ex quo rectius practicen (sic enim uocant) suam cōdīcerent. Occurrat autem in primis Paulus & Géneta excellens medicinæ scriptor, annis iam milie desideratus, qui compendio, ordine, artificio, perspicuitate, & doctrina, omnes facile superauerit. Adde quod mul ta feliciter tractet quæ Galenus, Oribasius, Alexander, Aetius, Rufus, & reliqu' huius disciplinæ proceres omiseruot. Vnde non dubitem asserere, hunc unum Paulum, si Galeni theoria adiicias, ad medicinam perfecte discēdam sufficere. Toto igitur animo & cogitatione incubui, ut hūc authorem in studiorum gratiam quasi latinitate donarem: in quo sane laboris mihi plurimū fuit subeūdum, tū exemplario & uirio: quis tria obtigerint diuersa, tum quod in chirurgica uel instrumentorum nomine difficillima, nulli ferè latini authores habeantur, quos tu quoque queas æmulari. Quippe is semper mihi in uertèdis Græcorum monumēts fuit animus, ut præter fidem, qua nihil in interprete est optabilius, pure omnia, latine & munde, quatenus licet, exprimerem, quanquam hodie multos agrestes hicososq; philosophos, si diis placet, uideam, quos impolita

a iii

E P I S T O L A .

magis & rudia delectat exasciataq; magis q̄ dedolata: ex ho-
rum numero nonnulli grauiores disciplinas exponere aggref-
si, uocabulis sordidis & ex intima plebei sermonis fæce acces-
ptis, foedant contaminantq;. Vnde sit ut qui paulo humanius
educati instituitq; sunt, non reformident illas adeo, sed fugiat
oderint & despuant, cum maxime referret, egregias mentes
præclarasq; ingenia sermonis uenustate & gratia ad seueriores
illas ut ita dicā, matronas allicere. Quæ an ego præstiterim,
quod in tam grandi opere uix potest fieri, allorum esto iudicium:
cium: certe hoc audacter affero, qui nunq; inter politoris mu-
ſæ æmulos certationibus disceptationibusq; elimati, nunq; p.
Celsi, Largi, Plinii, Varronis, Columellæ, aliorumq; literas
sunt peregrinati, eos parum adeo fructus hinc relatuos. Tu
interea hæc meas uigilas, Pontifex Optime ne contemne,
ad quas absoluendas & author et auxiliarius extitisti. Perge
fauere doctis, perge literas excitare, perge ueterem recipere
medicinam, quæ haec tenus ægrotta erat et propè desperata.
Habes in hoc pulcherrimo negotio Iacobum Colinum uirum
ex animo omnium doctorum maximum, instar albæ lineæ,
amatorem: habes fratres tuos clarissimos, ut omnium genes-
re uirtutum, sic literis supra ueri fidem excutios, qui te ueluti
Hercules Atlantem strenue adiuuabunt. Vale præful clarissi-
me. Lutetiae, Calendis Octobribus, Anno ab orbe redempto
millesimo quingentesimo trigesimo secundo.